



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 109. Quid addendum sit circa morum probitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

vitium superveniens redditur inhabilis ad legendum, esse inhabilem ad omne beneficium.

§. III. In Prælatos eligi non possunt, 1. amens, 784
licet habeat lucida intervalla, quia Prælati debet esse omni tempore aptus ad gubernandum, *Pass. n. 5. 2.* Qui semel fuit fatuus, si causa permaneat: & probabile est illorum electionem pro Cathedralibus & Collegiatis esse irritam per *Trid. Sess. 22. c. 4. de Ref. Nec aliis imposterum fiat provisio, nisi iis, qui jam atatem & ceteras habilitates integrè habere dignoscantur, aliter irrita fit provisio, Pass. n. 10. Leur. q. 233.* Si tamen probentur esse perfectè sanati, & antecedenter habuerint Ordinem ad prælaturam requisitum, eligi possunt, *Pass. n. 7. Leur. q. 232.*, sed ordinari non possunt, quia sunt irregulares, *Suar. Bonac. Leur. 3.* Qui frequenter se inebriat, quia est velut amens per intervalla, *Peyr. Barb. Pass. Leur. q. 234.* 4. Semel possessus à demone, si antecedenter non habuerit Ordinem requisitum, quia ob irregularitatem ordinari non potest: si tamen habuerit Ordinem prærequisitum, & probet se liberatum, eligi potest, *Suar. Pass. Leur. q. 235.* 5. Epileptici, nam hi, non ordinati, sunt perpetuò irregulares; tamen ordinati, & raro, v. g. in mense tantùm semel sine inconditis Vocibus cadentes, eligi possunt, multò magis, si morbo sint liberati, quod probatur per dies 30., *Cap. In tuis litteris 7. q. 2. Suar. Bonac. Silv. Pass. Leur. q. 236.* Eiusmodi tamen defectuosorum electiones non sunt ipso jure irritæ sed irritandæ, *Pass. n. 329.* Quòd si talis infirmitas vel inhabilitas ad regendum, superveniat Prælato confirmato, non deponitur, sed ei datur Coadjutor, *Pass. n. 332.*

Q. 109. Quid addendum sit circa morum probitatem. R.

§. I. Cap. *Cum in cunctis*, de elect., Cap. *Grave nimis*, de præb., *Clement. 1.* de ætat. & qual., *Trid. Sess. 24. c. 18.* de Ref. præcipitur, ut inquisitio fiat in mores ac honestatem beneficiandi; estque saltem irritanda promotio illius, qui deditus est gravibus peccatis cum animo in iis perseverandi, esse enim scandalum talem adhibere aut relinquere in ministerio sacro, *Nav. Az. Castrop. t. 13. d. 4. p. 5.* Imò si secuta erat infamia, hæc potuit reddere irregularem & inhabilem adeoque irritare provisionem, secundùm dicenda n. 787. Delicta autem, quæ secundùm dicenda à n. 940. inducunt privationem beneficii, multò magis impediunt provisionem beneficiandi. Vide *Leur. p. 3. q. 356.*

§. II. Præsentatus invalidè ob crimen, si se emendarit, potest denuo præsentari, saltem accedente dispensatione Superioris, *Abb. Laym. Leur. p. 2. q. 168.*

786

Q. 110. *Quenam infamia obsit beneficiando. R.*

§. I. Quid sit fama & infamia, duxi l. 3. p. 2. n. 1191. Est autem duplex fama, alia de homine, alia inter homines: *fama de homine* est illæstæ dignitatis status moribus & vitâ comprobatus, Cap. *Cognitionum*, §. *existimatio* ff. de variis & extraord. cognit. *Fama inter homines* est communis opinio voce manifestata, soletque dici vox populi seu pice rei gestæ, uti ait *Baldus*. Differt à rumore, quòd huius nesciatur auctor, fitque particularis proclamatio & facillè deficiat, fama autem habeat auctorem, sit communis proclamatio & crescat eundo. Utraque fama tum dicitur *publica*, quando jus vel factum per eam redditur notorium, id est, transit ad notitiam majoris partis communitatis, nam per majorem partem repræsentatur totus populus, L. *Nulli*, & L. *planè*, ff. Quod cujuscumque univers. nom. Notor.